

Johann Bacmeister

**Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Joannes Bacmeisterus Med.
D. Prof. P. & Poliater Ad Funereas Exequias Quas ... Matronae Catharinae Heins/
Primum ... Dn. Nicolai Willebrandi, Phil. & I.U.D. ac Professoris huius Academiae
... Post hunc pie defunctum vero Viri ... Dn. Arnoldi Botticheri, I.U.D. ac Reipubl.
Wismariensis per multos annos Syndici ... relictæ Viduae ... Matri optatissimæ
Liberi moestissimi paratas cupiunt, cohonestandas Officiose & amanter Omnes
Reipubl. litterariae Cives invitat & provocat**

[Rostock]: Kilius, 1662

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn770974481>

Druck Freier  Zugang



Bacmeister, J.,
in C. Hein,
uxor. 1, N. Willebrand
und 2, A. Botticher,

Rost. 1662.

16





PROGRAMMA
Quo
RECTOR
Universitatis Rostochiensis'
JOANNES BACMEISTERUS
Med. D. Prof. P. & Poliater.

Ad
Funereas Exequias

Quas



Consultissimi ac Excellentissimi

DN. NICOLAI WILLEBRANDI,

Phil. & J.U.D. ac Professoris hujus Academiæ celeberrimi, ac Practici felicissimi,

Post hunc pie defunctum verò

VIRI amplissimi & Consultissimi

DN. ARNOLDI BOTTICHERI,

J.U.D. ac Reipubl. Wismariensis per multos annos Syndici ac Consul's optimè meriti b.m. ante octo annos relictæ Viduæ pientissimæ, Matri

optatissimæ

Liberi mæstissimi paratas cupiunt, cohones Pandas

Officiole & amanter

Omnes Reipubl. litterariæ Cives invitat & provocat.

Typis JOHANNIS KILII, Acad. Typogr. Anno 1662.



Ulti veterum Philosophorum non
solum Mulieres Viris imperfectio-
res & imbecilliores esse existima-
runt, atque hinc arctiorem æta-
tem & contractiorem vitæ cursum
illis assignarunt: Sed & quidam
nugatores ac fanatici cum Chry-
sippo Virilem sexum sic exornasse
naturam censuerunt, ut adjunge-
ret muliebrem quasi appendicem
seu caudam pavoni, viriç; saltem

esse adjutorium & procreationis instrumentum, atque ra-
tione carere, quare & publica officia illis esse interdicta sta-
tuerunt. Verum ut ultimi bruta potius quam homi-
nes dicendi sunt, qui quavis bestia deteriores in elegan-
tissimam DEI creaturam, scripturarum ignari, debacchan-
tur, & spurcissimis conviciis muliebrem sexum conspuunt,
(creavit namque DEUS hominem in imagine sua, in imagi-
ne, inquam, Dei creavit eos marem & foeminam, nec ad
ornatum solum creavit illam, sed ad societatem generis
vitæque humanæ perfectionem) ita prioribus ipsam ~~auto-~~
~~phys~~ Anatomicam opponimus, & ut nobiscum oculos pu-
blicæ turbæ credant, & quotidianos occursus considerent
rogamus. Animadventent certè foeminas Viris æque esse
perfectas, & haud minore numero senes foeminas, quam
viros reperiri, Senectutemque bonæ constitutionis cor-
poris

poris accessionem, non alterutri tantum iexui, eamque in-
liori propriam & peculiarem, sed utrique communem Dei
munere tributam esse. Et ne Nioben, Baucin Philemonis, He-
calen, Hecubam, Penelopen, sibyllas fabulosis poëtarum carmi-
nibus & vulgi proverbiis inclutas ad testimonium citem:
certè Saren & Rebeccam Patriarccharum Conjuges & matres
sacra; Semiramin Assyriam, quam cum Cyro superiore Ale-
xander Magnus ob animi magnitudinem & rerum gesta-
rum amplitudinem omnium maxime admiratus fuisse per-
hibetur; Rhodogunem Persicam, cuius imagine passis capillis
sigillo insculptâ Phisici Reges utebantur; Corneliam Graccho-
rum, Terentiam M. Ciceronis, Crispī Salustii, M. Messalæ,
trium ordine eloquentissimorum hominum matrimonio
memorabilem, ad grandem ætatem pervenisse & ultra pen-
sum vixisse, Græcorum pariter ac Latinorum monumenta
testantur. Conduntur quidem fœminæ probæ plerumq;
domesticis latebris, neque quicquid in illis memorandum
erat, ultra limen se in publicum erumpit; inde tamen sta-
tui non potest, quod pleræque ignorentur, tam longum
ac viris vivendi terminum negatum esse. Majorem qui-
dem Senectus auctoritatem & venerationem viris circum-
dare vulgo existimatur? Sed quæ fœminæ pietatem colunt,
pudicitia sanctitatem constanter tuentur, linguam fre-
niant, propriarum rerum domi satagunt; quod in Sene-
ctute pati auctoritatis dispendium, vel sui apud probos &
moderatos fastidium commovere possint, non appareat.
Morum siquidem integritas, non annorum gradus præcla-
tam existimationem & sui amorem pariunt. Quanta au-
toritate fuerit apud Athenienses Elpinice Miltiadis filia, Ci-
monis soror, devexæ jam ætatis, ex eo conjicere est, quod
cum Pericles Samo sociæ & necessitudine Atheniensibus
conjunctæ civitati, non necessarium bellum pecuniæ &

gloriæ avarus intulisset, multisque fortibus civibus Athene
nas spoliaisset, mussantibus omnibus, neque contra Periclis
potentiam hincere ausis; Illa in concionem progressa & so-
la consilium ac factum Periclis verbis objurgare sustinuit;
quod non Phœnicibus potius & Medis, sicut frater ejus Ci-
mon, bellum fecisset, & coronam ex internecinis Græci
nominis hostibus petiisset. Delphi quoq; abductæ à Thes-
salo quodam amatore, sacerdoti juvenculæ, Oraculo Ap-
pollinis excipiendo & reddendo anum extincti floris sub-
stituerunt, atque decreto sanxerunt, ne unquam floren-
tioris ætatis Pythia ad tripodem & specus fatidici penetra-
lia, per totum tunc orbem famosâ, admitteretur. Sene-
ctus enim ut lassitudine vel satietate voluptatum adfert fi-
nem; ita pietate, prudentia, cæterisque præsidii verger-
tes annos compensat & munit. Fertur hac illæ juventa,
sed grandior ætas sibi constat, subq; vitæ finem homines
proficiunt usu & experientiâ, atque ita ab omnium vitio-
rum fæcibus magis ac magis secernere se se student. Cla-
rum hujus rei exemplum hodiernus dies nobis exhibet in
CATHARINA HEIENS, cui jam justa persolvimus. Illa enim singula-
ri Dei benedictione non solum terminum illum, quem Spi-
ritus S. in Psalm. XC. vitæ mortalis perhibet longissimum
superavit: sed & quo propius metæ fati admoveri se sen-
sit, eo longius se à voluptatibus cæterisque seculi illece-
bris avocavit, pietatisque exercitiis diligentius inhæsit.
Sensit equidem varias senectutis molestias, quas eleganti
& metaphoricis locutionibus exornatâ periphrasi descri-
bit Ecclesiastes cap. XII. Verum spe bonâ, DEIque verbo
& piis meditationibus eas diluit, revocans sibi in memo-
riam, nullam ætatis humanæ partem esse, quæ infelicitatis
& incommodorum expers sit. Nudos quippe ex alvo
pro-

profusos terra nos excipit, nativâ labe contaminatos, ignaros omnium, fandi nescios, imbecilles, inermes, lacruman tes; postmodum ubi sentire incipimus, quid ibi non difficultatum, quid non infelicitatis cernitur? & hoc per omnes vitæ partes ad extremam usque senectutem durat, ut ita non opus sit senectuti soli mala & incommoda affri care, præsertim cum & ipsa ex se se, si nempe non inter vi tia senuit, fructum capiat uberrimum: Senium quippe honestum non exiguum est divini favoris indicium; est pietatis præmium; est insigne hominis ornamentum; est de nique omnium malorum portus. Etaudiat Senectus tristis, querula, morosa, tenax, pertinax, iracunda, credula, garrula, infelicitatis & incommodorum thesaurus, qua ad veniente deficiant vires, oculi caligent, caput tremat, facies rugetur, articuli vacillent, crines desfluant, dentes putrescant, aures obsurdescant, corpus incurvescat, quid est tamen cur ista tantopere curemus aut non magis conte mnamus? Rugæ arant vultum? animum occupare non possunt. Incurvatus es ad terram? natura te principii sui simulque finis admonet. Terra enim es & in terram reverteris. Tremit caput? Mens pia est immota. Res tuas agere nequis? senem nisi quæ mentis sunt, agere non decet. Valetudo, robur, velocitas deserunt? Virtus tamen ac pietas manet, nec cessura senio, nec morti. Alia mala te excruciant divexantque? in portu ecce jam stas, mox subducturus navim tuam in terram quietis, senio te pa latim deducente ad finem, ita ut mors cum voluptate potius quam dolore contingat. Omnia enim quæ secundum naturam fiunt, sunt habenda in bonis: quid autem tam secundum naturam, quam senem mori. Quippe; si cut sua sponte, nullâ adhibitâ vi consumptus ignis extinguitur; & velut poma ex arboribus si cruda sunt, vi evel-

Iuntur, si matura & cocta decidunt: sic vitam adolescentibus inquit Cic. vis aufert, senibus maturitas. O rem itaque præclaram & omni laude dignissimam, senium honestum tam in fœminis quam viris! Nolumus hic accuratius in vivacitatem sexus muliebris inquirere, alias si pari curiositate & ambitione cum conditoribus rerum in prodendis iis, quæ fœminis cum viris pariter insignia evenerunt, versari vellemus; æque vobis prolixum longævarum & vivacum fœminarum ordinem contexere & recensere proclive esset. Sufficiat hac vice capita rerum attigisse. Nostrum in præsentiarum est Romanos imitari, qui memoriam defunctorum celebrantes, Patriæ majorumque imagines solenni pompâ & ritu præferri funeribus curabāt. Ut enim plantæ ex bono lectæ genere, solo fœcundo insertæ, radicem sapiunt, eique fructus convenientes referunt, nec aquilæ imbelles columbas progenerant; ita genus, patriam & educationem in prolis naturâ & moribus dijudicandis plurimum facere, recte Romani judicarunt. Ortum si Matronæ defunctæ respicias, eam à radice probâ bonâ ducit. Ex Ampliss. & florentissimâ namque HEINIORUM familia Anno seculi superioris LXXVI. die XXIX. Febr. intra secundam & tertiam matutinam, in hanc lucem producta est, Patre Viro Nobilissimo, Amplissimo ac Consultissimo Dn. FRIDERICO HEINIO, Jcto eminentissimo Professore hujus Academiæ nostræ Decretalium celeberrimo, & Illustrissimi ac celissimi Principis Mecklenburgiei DN. JOHANNIS ALBERTI beatæ recordationis Consilio gravissimo; Postmodùm verò civitatis Rostochiensis Syndico & Consule meritissimo; Matre fœminâ matronalium virtutū splendore conspicuâ, ANNA Döbbins. Avum paternum salutavit Virum Consultissimum ac Prudentissimum Dn. JACOBUM HEINIUM, ciyitatis Neo-Brandenburg.

burgensis Consulem quondam bene meritum. Aviam
verò paternam, matronam honestam ILSEN Barnefuers/
Avum maternum nominavit Virum candoris integerissimi,
fidei ac prudentiae singularis Dn. ALBERTUM Dobbin/ Se-
natorem ac Camerarium hujus urbis olim prudentissimum;
Aviam maternam, sexus muliebris coronam MARGARE-
THAM Wedigen ex antiqua WEDIGORUM alias die Lewen
dicta, familia oriundam. Ut jam reliquos Majores taceam,
quos recensere magis ad ostentationem quam ad piam re-
cordationem facere videtur, præprimis cum vana illa ho-
nestas, vana jactantia sit, quando quis nil nisi familiam cla-
ram, majorumque virtutes elato supercilie jactat, ipse ve-
ro omnis virtutis expers turpiter & dedecorosè vivit, &
sic à majorum vestigiis non sine magna honestæ existima-
tionis jacturā desciscit. Quod cum hæc nostra HEINIA
sciret, postquam ex aqua & spiritu per lavacrum regenera-
tionis ac renovationis renata, & corpori CHRISTI mysti-
co, quod est Ecclesia, inserta esset, nihil potius habuit, quam
ut tam præclaro sanguine creta, patriarchum virtutum quo-
que esset æmula, quod etiam per piam parentum educa-
tionem, qui ab ipsis incunabulis præcipuas sexus mulie-
bris virtutes, pietatem scilicet, castitatem, domi custo-
diam, & quæ istas comitare amant, alias, & quasi cum lacte
materno instillarunt, obtinebat. Accedebat insuper e-
xempli domestici efficacia, quod cum illa quotidie tan-
quam speculum intueretur, in arte regendi familiam ita-
paulatim profecit, ut anno ætatis XXI. maritum sibi sua-
rum virtutum cesto, minimè verò lascivis, ut passim vide-
mus, illecebris attraxerit & devinxerit haud vulgarem &
plebeum, sed iis virtutibus ornatum, ea doctrina ac pruden-
tia præditum, ut ab Amplissimo hujus Urbis Senatu Ethices
ac Politices Professio in hac nostra alma Rosarum ipsi con-

ee-

cederetur. Anno itaque clo 15 XCVI. die XXII. Septem
bris ab Amplissimo & Consultissimo Viro Dn. NICOLAO.
WILLEBRANDO, Phil. & J.U. Doct. Prof. & Practico fami-
geratissimo domum ducta est. Nec ipsum ista sponsæ ele-
ctio frustrata est; Non enim Uxorem accepit imperiosam
ut Polla quondam erat; non morosam ut Papiria; non
luxuriosam ut Messalina, non improbam ut Xantippē; sed
alteram Saram, Ragelem & Abigaëlem, sobriam scilicet mo-
destam & ad nutum mariti paratissimam. Cum quā etiam
adeò conjunctissim è per XXVII. circiter annos vixit, ut
nunquam necesse fuerit illis templum Deæ Viriplacæ ac-
cedere, in quo Romæ dissidentes conjuges convenire, &
in gratiam æquis conditionibus redire solebant. Quam
suavissimam *oīvīas* divina cumulabat benedicto, illosque
sena prole beabat. Hæc tam generosa & luculenta Con-
jugalis amoris pignora, Conjuges hosce certissimo sinceri
affactus vinculo ostringebant. Quoties enim Uxor mari-
to parit, uterque alteri dat amoris obsidem. Obsides ta-
les CATHARINA nostra marito suo non vulgares, sed
præclaros dedit, inter quos PETRUS Phil. Magister & ver-
bi Divini ad templum Parochiale Güstrov. minister, dum
vivebat, vigilantissimus atq; fidelissimus, primas dicit. Hic
postquam conjugem sibi elegerat Virginem lectissimam
ELISABETHAM Bacmeisters / Viri Admodum Reverendi
ac Excellentissimi Dn. LUCÆ BACMEISTERIS, S.Theol.
D. olim hujus Academiæ Professoris celeberrimi, postmo-
dum vero Güstroviensis Circuli Superintendentis gravis-
simifiliam, *μακαρίην* nostram VII. Liberorum aviam, & XIX.
nepotum proaviam fecit. Eum insecura est ANNA, Viro
Consultissimo ac Excellentissimo Dn. THEODORO ab
OESEDEN, J.U.D. Illustr. Duc. Megap. Consiliario ac fisci
Advocato olim, jam p. denato, nupta, Matrona pia, proba
ac

ac virtutibus muliebribus clara, quæ viduum per complures annos thorum premens, dulcissimæ matri usq; ad extremum vitæ halitum, ministerio, filiali obsequio ac continua precibus præsto fuit. Ex quâ VIII. liberorum avia & III. neptium proavia redditæ est: Tertius in ordine fuit FRIDERICUS, J. U. D. Fisci Consiliarius ac Advocatus solertissimus, qui matrimonio sibi junxit Viduam D. JOACHIMI ALBINI, ILSABEN ab HAGEN, Ampliss. ac Consultiss. Viri Dn. CHRISTOPHORI ab HAGEN, JCti, Consiliarii ac Dicasterii Mecklenburgici Assessoris filiam; ex quo conjugio VI. nepotes nepotesq; videntur. Quarta SOPHIA in tenerrimâ ætate huic mundo immundo valedixit & in cælestem patriam translata est. Quintus NICOLAUS Civis ac negotiator apud Revalienses in Livonia, dum in vivis esset, primarius ducta in Matrimonium Virgine pudicissimâ ILSABE, Viri Ampliss. ac Prudentiss. Dn. GEORGII à Wangersheim/ Consul Revalensis civitatis Senioris filiâ, pie defunctam IX. liberorum aviam & II. proaviam constituit. Sextus ALBERTUS, U. J. D. Codicis Professor & Consistorii Ducalis Assessor gravissimus, Collega noster honorandus, cum Conjuge sua suavissimâ ELISABETHA, Magnifici, Nobiliss. ac Amplissimi Viri Dn. JOH. COTHMANNI JCti excellentissimi, Comitis Palatini Cæsarei, ac Cancellarii Mecklenburgici gravissimi, *νυ* *τε* *άγιοις* filiâ, illam VII. liberis donavit, quorumq; præsentia lèpissimè lœtata est. Ex his quatuor matrem maturiore obitu in Cœleste *μλίτωμα* properando antevertierunt; Duo vero ANNA scilicet & ALBERTUS etiamnum superstites sunt, & dulcissimæ matris obitū acerbissimis prosequuntur lachrymis. Atq; sic HEINIA nostra ex hoc Matrimonio LXIX. Liberorum Mater, Avia & Proavia salutata singularem hanc Dei benedictionem deprædicare, eaq; secessit molestias mitigare & sublevare solita est. Quam-

B

II

vis

vis itaque hocce conjugium ex omni parte felicissimum appareret, atq; perfectissimū; Tamen uti nihil in hāc vitā stabile, nihil diuturnum, sed omne creatum continua mutationibus quasi Euripis, Justiniano & Leone Imperatoribus testibus, obnoxium; Ita felicitas hæcce dulcissimarū animarum ingentē experta est syraxin. Anno quippe cīo Iōc XIII. sub finem mensis Julii, optatissimo thalami jugalis consorte orbata, & in medio ætatis melioris decursu cōstituta, vidua facta est. In quo viduitatis statu per integros etiam quatuor annos mansit, turturis ad instar comparem cotidiē in gemiscendo luxit, ejusq; imaginē Messalanis exemplo semper in oculis veluti vivam habuit. Et licet multi illam ambirent: tamen secunda vota, utpote quæ viduis periculosa esse noverat, aversata est. Sæpe enim, teste Imperatore Constantino, mulieres Viduæ novis maritis, non solum res filiorum, sed etiam vitam addicunt. Quo & Justinus respicit, dū scribit, haud raro evenire, ut mulier secundis nuptiis novi matrimonii gratiā acquirat, veteris offensam contrahat, & nonnuunquā non nutricium, sed hostem & Tyrannum liberis superinducat. Quamvis autem castam viduitatem mariti piis manibus vovisset: tamen matrimonia Je-hovæ providentiā ut dirimi ita quoq; conciliari & consolidari suo exemplo testatum fecit. Accidit enim An. cīo Iōc XVII. quod Vir Consultiss. ac Ampliss. Dn. A R N O L D U S BOTCHER, U.J.D. ac postmodum Civitatis Wismariensis Syndicus & Consul gravissimus illam ambiret, & tandem favente Divino numine, etiam exambiret. Metum, itaque humānā curiositate excitatum JEHOVA vidui status protector dispulit, cor utriusq; honesto amoris glutine univit, effecitq; ut par hocce turturum sub unotecto & lecto IV. Aug. felicissimo conjugio coiret. Experientia quoq; edocuit, angorem, quo Matrona hæc vitam vidualem agens se

ma-

macerarat , vanum fuisse , siquidem non minorem curam
privignorum vitricus habuit , ac si pater iis naturalis fuisset ;
Marito insuper negotiis pubiicis occupato , rei familiaris
diffusa axem per XXXVII annos Atlanteâ virtute fortiter &
feliciter sustinebat . Unde etiam hanc suam uxorem non se-
cūs ac Animam in penitissimâ pectoris sui sede reconditam
adamavit . Verum felicitatibus hisce Deus amaritudines
miscuit non exiguae : nam ut communia mala & domesticas
amaritudines præteream , Anno CIO IOC LIV . mense Ma-
jo , conjugale hoc vinculum iterum solutum , & marito dul-
cissimo orbata , sicq; secunda vice Viduitatis incommoda
sentire coacta est . Quem casum graviter quidem tulit , ita-
tamen ut non dolori succumberet ; sed spe in Imperatorem
summum , qui , cui & quando libuerit cunque , hujus terre-
næ militiæ missionem impertit , niteretur , eum fore vidua-
rum Curatorem unicum & certissimum . Suas itaq; & hor-
tatu suorum ad suos Rostochium potius redire , quam Wis-
mariae reliquum vita tempus transigere voluit . Quod vita
ejus concernit , ita in hac palæstra dum vixit versatur est , ut
pietatem cæterasq; virtutes , quæ benè natam & honesto lo-
co collocatam Matronam decent , DEO & proximo proba-
ret ; senectutem autem ipsam non tantum eleganter fer-
ret , sed divini in se amoris signum omniumque malorum
portum agnosceret . Nec enim eam vel rugæ seniles , vel
alia hujus ætatis incommoda propria turbare potuerunt ,
sed animum ad quævis toleranda tum verbo Dei præpara-
tum , tum crebro sacro sanctæ Cœnæ usu instructum semper
gessit invictum . Quam plena in omnes officii , quam be-
nigna & bona in miseros , quamq; assidue atq; devote etiā
in extrema hac senecta obierit sacra publica , hic com-
memorare fusi supervacaneum esse duco , cum tot liculen-
ti testes adsint , quibus per multos annos nota extitit . Ita-
que

que & DEO chara fuit in his terris hæc Matrona: Ornata
enim fuit & aucta divinitus omni benedictione *in liberis*,
quose sex VI. vidit, & ex suis, qui matrimonio fuerunt jun-
cti, nepotes vidit & neptes LXI. in opibus, quæ sufficientes
fuere: in ætate cujus annum LXXXVI. ferè absolvit. Ecce
sic benedicetur homo qui timet Dominum. Ante ali-
quot dies languore senili & pectorio laterum dolore exa-
gitata & emaciata est, nec quicquam medicamenta ab
Experientissimo Dn. D. Joanne Luberto præscripta value-
re; donec tandem Viatico sanguinis & corporis CHristi
Domini nostri, de manu Confessionarii Dn. M. Enochii
Suantenii, Archidiaconi Jacobæi, sumpto, subindeque ab
eodem de fide in Christum retinendo admonita, suspirans
& ingemiscens XXIII. hujus mensis die audita XI. matutinâ
ut lychnus deficiente oleo, absumpta ex vitæ hujus convi-
vio sine cruciatu tanquam in somnum composita, hoc pe-
lagus emensa animam suam creatori reddidit. Cum itaq;
huic tam piæ & longævæ Matronæ hodiernâ die justa sint
solvenda, omnes Academiæ Cives rogo, moneo & hor-
tor, ut id, quod pietas Christiana, Familia HEINIANÆ
& WILLEBRANDIANÆ in rempubl. utramque merita,
in primis Collegæ nostro debita benevolentia, ipsaque
ad eò antidoralis obligatio postulant, meo rogatu luben-
tius faciant, & hodie exequias solemniter eant, & exuvias
CATHARINÆ cineribus maritalibus jungant, mortalita-
tis suæ recordentur, & pro Academiâ ac Republicâ piè &
devotè DEUM precentur.

P.P. Rostochii XXXI. Januarii Anno cl̄ I^oc LXII
Sub sigillo Rectoratus. Conventus fiet in Templo
Jacobæo ad horam I. pomeridianam.

• 05(0) 90 •

GK






Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn770974481/phys_0020](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn770974481/phys_0020)



macerarat, vanum fuisse, si quide
privignorum vitricus habuit, ac si
Marito insuper negotiis pubiicis
diffusa exem per XXXVII annos A
feliciter sustinebat. Unde etiam ha
cus ac Animam in penitissimā pē
adamavit. Verūm felicitatibus h
miscuit non exiguae: nam ut comm
amaritudines præteream, Anno
jo, conjugale hoc vinculum iterun
cissimo orbata, sicq; secunda vice
sentire coacta est. Quem casum gi
tamen ut non dolori succumberet
sumimum, qui, cui & quando libu
næ militiæ missionem impertit, nū
rum Curatorem unicum & certissi
tatu suorum ad suos Rostochium
mariaæ reliquum vitaæ tempus tran
ejus concernit, ita in hac palæstra
pietatem cæterasq; virtutes, quæ b
eo collocatam Matronam decent
ret; senectutem autem ipsam no
ret, sed divini in se amoris signum
portum agnosceret. Nec enim
alia hujus ætatis incommoda pro
sed animum ad quævis toleranda
tum, tum crebro sacro sanctæ Cœ
gessit invictum. Quam plena in
nigna & bona in miseros, quamq;
in extrema hac senecta obierit sa
morare fusi supervacaneum effi
ti testes adsint, quibus per multos



orem cura
uralis fuisse;
ei familiaris
nte fortiter &
orem non se
re conditam
amaritudines
& domesticas
mense Ma
& marito dul
incommoda
em tulit, ita
mperatorem
hujus terre
m fore vidua
u itaq; & hor
e, quam Wis
it. Quod vitæ
ersat, ut
& honesto lo
oximo proba
leganter fer
ue malorum
gæ seniles, vel
e potuerunt,
Dei præpara
actum semper
cii, quam be
q; devote etiā
hic comme
ni tot luculen
exitit. Ita
que